

cum excusationum " redire permittentur ad sua respectiva officia tum Reverendissimus Dominus Joussard, coadjutor Reverendissimi Domini Grouard, Vicarii Apostolici Districtus Athabaska, tum Reverendissimus Dominus J.-L. Guertin, Vicarius Generalis Sancti-Hyacinthi, admodum Reverendus Philippus Choquette, Superior Seminarii item Sancti-Hyacinthi et delegatus a capitulo cathedralis ejusdem Ecclesiae. Finis imponitur congregationi oratione consueta.

CONGREGATIO PARTICULARIS EPISCOPORUM SECUNDA

*Feria sexta, 24 septembris 1902, hora nona et dimidia a. m.*

Facta oratione "Adsumus" ab Excellentissimo Praeside, utraque relatio approbatur, observante tantum Reverendissimo Episcopo Sancti-Alberti ad se non pervenisse epistolam Domini Shearer. Quapropter in relatione gallice exarata vocibus : commentarius " ad singulos directus episcopos " substituitur " ad plures ". Patres permittunt ut Rmus Dominus Aloysius-Adolphus Pâquet discedat, valetudinis causa, iter facturum in Europam.

Excellentia Sua Reverendissima congregationi notum facit Rmum Dominum Marois libenter in se sumpsisse ut ea omnia documenta custodiat quae pertinent ad Concilium. Campivallensis rogat Excellentissimum Praesidem ut sibi liceat alloqui cœtum de re quae ad se ipsum attinet privilegiumque suum (a matter of privilege). Annuente Excellentissimo Praeside, idem Reverendissimus episcopus coram congregatione episcoporum protestatur in hunc modum :

" Heri solennes exequiae celebratae sunt pro defunctis Canadensibus episcopis quorum veneranda memoria tanto pietatis affectu et eloquentia honorata est ut nihil supra possit exoptari. Quorum nos successores paucis diebus in Concilium plenarium adunati jure optimo nobismetipsis admovere possumus et tribuere quod de christianis in Actibus dicitur : cor unum eorum esse et animam unam, maxime si respiciatur devotio erga Ecclesiam et Sanctam Sedem Apostolicam, quae parilis eademque est apud omnes et singulos de qua re vel levissimum dubium movere